



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 51. Albertus Archiepiscopus Salisburgensis depositus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](#)

rebeiles filios in gratiam recepit. Ita Sæcul. XII.  
pax in omnes ejus Ditiones rediit. A.C. 1174.

§. LI.

*Albertus Archiepiscopus Salisburgensis  
depositus.*

In Germania Fridericus Imperator Ratis-  
bonæ vigesima sexta Maji comitia  
celebravit, quibus augustiora unquam  
in Bavaria acta fuisse nemo meminerat.  
In iis tandem Imperator de Ecclesia  
Salisburgensi decernere statuerat, cuius  
Archiepiscopus Albertus Alexandro Papæ  
addictus, ideoque Friderico invitus, cum  
ante biennium in conventu Salisburgi  
convocato, ejus conspectum frustra  
subiisset, Ratisbonam quoque cum Hen-  
rico Austriæ Duce, Propinquo suo, venit.  
Huic Præsuli, Ladislao Rege Bohemiæ,  
parente suo, anno superiore millesimo  
centesimo septuagesimo tertio, vita  
functo, fixa sedes nullibi erat, nam  
Bohemiam Imperator occupaverat. Cete-  
rum non nulli Præsales Bavariæ a suo  
Metropolita defecerant, Nunciisque cum  
querelis clam ad Papam missis, eum de-  
poni poposcerant. Sed Papa a pleris-  
que ejusdem provinciæ Præsulibus cer-  
tiora edoctus, Archiepiscopum Alber-  
tum tuebatur.

In Conventu Ratisbonensi nullum  
ferociorem adversarium Albertus sensit,  
quam

*Chron. Rei-  
chersp.  
an. 1172.  
1174.*

**Sæcul. XII.** quam Richerium Episcopum Brixinensem, qui absque ejus consensu electus, etiam in eodem Conventu ab Episcopo Gurcensi, Alberto invito, consecratus est; nam altera die omnes Præsules praesentes permovit, ut Imperatoris voluntati velificarentur, & eum deponerent; cunctique Principes Sæculares, Duce Austriae excepto, consenserunt. Nec mora, in Sedem Salisburgensem sufficitur Henricus Bertolsgadensis, Solio imponitur, Investituram Imperator confert, Principes Feuda hujus Ecclesiæ tenentes, quorum primi Duxes Bavariae & Saxoniae fuerunt, Homagium Archiepiscopo præstant. Fuere tamen aliquot Præsules & Clerici, licet pauci, qui auctorum participes esse noluerunt, quod contra Canones peccaret electio. Ceterum ajebant, si Sedes Salisburgensem vacasset, Henricum Bertolsgadensem non modo Archiepiscopali Sacerdotio dignum, sed etiam sibi pergratum futurum. Is singularem pietatem profitebatur, Vir prudens & eloquens, a puero sub Disciplina Ecclesiastica educatus, quem denique tam Laici quam Ecclesiastici magni faciebant.

Albertus Archiepiscopus ab æmulis oppressus querelas ad Alexandrum Papam detulit, Erchampoldo, Capellano suo, Canonicº Reicherspergensi, Romam

mam misso, qui jam ante in eadem causa Sæcul. XII.  
bis iter ad Sedem Apostolicam suscepérat. A.C. 1174.

Is tres Papæ epistolas retulit, Anagniæ  
octava Septembbris datas, quarum prima  
ad Albertum Archiepiscopum, secunda  
ad Conradum Archiepiscopum Mogun-  
tinum, suum in Germania Legatum, &  
tertia ad Præpositum & Capitulum Salis-  
burgense directa. In his epistolis Papa  
Depositionem Alberti, tanquam contra  
Jura Divina humanaque, ac summa Sacrae  
Sedis injuria peractam, nullam declarat.  
Legato suo præcipit: Episcopis Gurcensi,  
Brixinensi & Henrico Præposito diem  
præscriberet, intra quem intrusus iste  
ad Ecclesiam suam redire, & Archi-  
episcopo suo obedire compelleretur.  
Capitulum quoque Salzburgense sine  
mora legitimo suo Archiepiscopo Alberto  
obsequi jubet. Illud autem memorabile,  
quod Episcopi Gurcensis & Brixinensis  
dicerent, se Henricum Præpositum salva  
obedientia Alexandro Papæ debita ele-  
gisse, quod Papa in his literis refert.  
At Pontificis conatus in cassum cecide-  
runt, adversante Imperatore, sub cuius  
præsidio Henricus annos quatuor Sedem  
Salzburgensem tenuit.

### §. LII.

*Lambertus Balbus Leodii.*

Rudolphus Episcopus Leodiensis, Ale- Ægyd. c. 52.  
M. Chr.  
xandri Belg. p. 193.